



**Commentariorvm, Ac Dispvlationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

1 V. fuerint gloriosæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Christi mortem. Nam quæ è vita in primo statu de-
cessissent, perpetuò detrudebantur in Tartarū: quæ
verò in secundo, perpetuò quoque excluderentur
à regno beatitudinis, & in proprio ipsis destinato lo-
co (qui *Limbus puerorum* dicitur) recipiebantur, ubi
visque ad hodiernum diem manent, manebuntque
vel perpetuo, vel visque ad iudicii diem. Quas verò
tertio loco annuerimus, in locum purgatorij
deferrebantur. Poterant autem inde exire ante Chri-
sti mortem, quia poterant antea plenè purgari. Hoc
enim non pendeat ex executione mortis, seu re-
ali satis factione Christi pro genere humano: sed ex
commemuratione ac proportionem pænæ purgato-
rij ad reatum ex peccatis dimissis relicto, ut latius
in materia de purgatorio dicendum est, igitur ser-
mo præfatus de quarto ordine animarum instituen-
dus est. Supponimus autem ulterius ex materia de
beatitudine, sanctas animas plenè mundas & purgas-
tas statim ad beatitudinē euolare post Christi mor-
tem. Inuestigandum igitur est, an idem fieret ante
Christi mortem, vel quo reciperentur illæ animæ,
quemve statum haberent.

SECTIO I.

*Virum Animæ sanctæ ante Christi mortem fuerint
gloriose.*

Ratio dubitandi in primis oriri potest ex verbis
Sapientis Ecclesiastici 11. Facile est coram Deo in
die obitus retribuere unicuique secundū vias suas: retribu-
tio ergo diuina semper unicuique data est in die o-
bitus, iuxta eius meritum, sed retributio propria ha-
rum animarum est beatitudo. Secundo adiungi po-
test illud Lucæ 16. ubi Lazarus consolari dicitur, di-
ues autem cruciari, sicut ergo diues receperat pæ-
nam ultimam, ita & Lazarus ultimum premium.
Vnde Augustinus epistol. 96. ad Euodium propter
hoc testimonium fateri videtur animas sanctas an-
te Christi aduentum diuinitatem vidisse. & eodem
modo intellexit illum locum Iustin. martyr, quæst.
60. ad Gentes, quamuis ipse historiam illam non ad-
mittat. Tertio ex Paulo ad Hebræos 11. ubi de anti-
quis Sanctis dicit, *Per fidem vicerunt regna, adepti sunt
repromissiones.* Quod de repromissione vitæ æternæ
intelligit Anselmus ibidem. Obijcit tamen, quia in
fine eiusdem capituli dicit Apostolus. Hi omnes testi-
monia fidei probati non acceperunt repromissiones. Sed
respondet priora verba esse intelligenda de beati-
tudine animæ: posteriora verò de corporum resur-
rectione: Quarto uti possumus ratione, quia ad di-
uinam iustitiam spectat, unicuique reddere præmi-
um, atque illud non differre, quando anima est iusta
& nihil in se habet, quod beatitudini repugnat. Di-
cetur fortasse fuisse impedimentum ex parte totius
naturæ humanæ, quia nondum Christus præmium
meriti, & satisfactionis suæ pro illa soluerat. Sed
quamuis hæc ratio sit sufficiens, ne tota natura hu-
mana ad beatitudinem admitteretur ante Christi
passionem: non tamen, ut singulæ personæ ab in-
gressu beatitudinis retardarentur: alioqui nec rem-
issio peccati, nec gratia danda fuisset alicui homi-
ni ante Christi passionem, quia etiam respectu
horum effectuum nondum erat pretium solutum.
Et similiter neque Angelis sanctis danda esset gloria
ante Christi mortem, quia etiam ipsi per Christum
illam obtinuerunt.

Nihilominus certa fide tenendum est, ante Chri-
sti mortem, nullam animam quantumvis sanctam,
& puram, essentialē beatitudinem accepisse. Ita
docent Theologi in 3. distinct. 17. & in 4. distinct.
2. Diuus Thomas ib. & supra quæstion. 49. articul. 5.
& in hac etiam quæst. articul. Alexand. Alen. 3. part.
quæst. 18. memb. 4. Scotus in 4. d. 2. quæ. 2. & reliqui
Fr. Suarez. tom. 2.

A qui hoc sensu tradunt Christum morte sua aperuiss.
se hominibus ianuam regni. Quod potius de essen-
tiali beatitudine, quam de corporeo loco cæli Em-
pyrei intelligendum esse, tradit etiam Innocent. in c.
Maiores de baptismo.

Et probatur primo ex Paulo ad Hebræos 9. ubi
explicans ritum illum veteris legis, quo summus sa-
cerdos tantum semel in anno ingrediebatur in San-
cta Sanctorum non sine sanguine, quem offerret
pro peccato, dicit in hoc significatum esse nondum
fuisse propalatam Sanctorum viam, donec Christus
summus sacerdos seipsum pro peccato in sacrifici-
um obtulit. Ita exponit Chrysost. hom. 15. Theophy-
lact. & alij, & Ambrosius inquit, cælum mortalibus fuisse
inaccessibile. Idem Anselmus, & D. Thom. qui addit
propterea Christum vocari ostium Ioann. 10. & viam
Ioann. 14. quia ipse aperuit viam, & ostium regni cœ-
lorum. Vnde subiungit Paulus statim cap. 10. Haben-
tes itaque fratres fiduciam in introitu Sanctorum in san-
guine Christi, quam initiavit nobis viam nouam, & viuen-
tem per velamen, id est carnem suam. ubi Chrysost. ho-
mil. 18. Introitum (inquit) hic cælum dixit, & accessum ad
spiritualia, quam initiavit, inquit, seu propalauit, Dedi-
catio enim dicitur initium vtendi, & ideo nouam dicit, si-
quidem nunc aperta sunt porta cæli, quod neque tempore
Abrahæ contigit. Et eodem modo exponunt reliqui
Patres citati. Ac propterea de veteribus Sanctis di-
xit Paul. ca. 11. eiusdem Epistolæ. Iuxta fidem defuncti
sunt omnes isti, non accepti repromissionibus: sed à longe
eas aspicientes, ut ibi exponit D. Tho. & Ansel. A longe,
inquit, id est, oculis fidei considerantes, quod post mortem
eas essent accepturi, non proximus, sed post longa tempora in
aduentu Christi.

Secundo uti possumus alio testimonio Pauli ad
Ephes. 4. ita illud Psalmi interpretantis, *Ascendit in
altum captiuam duxit captiuitatem*, ubi nomine capri-
uitatis intelligit Sanctos antiquos, qui ante Christi
mortem veluti captiui, & in carcere detinebantur,
quos ipse moriens inde liberauit. De quo mysterio
dicitur Zach. 9. Tu autem in sanguine testamenti edu-
xisti victos de lacu, in quo non erat aqua, ut ibi Hiero-
nymus, Rupertus, alijque exponunt. Idem quoque
mysterium videtur significasse Petrus 1. Canon. c. 3.
dicens, *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, ius-
tus pro iniusto, ut nos offerret Deo, mortificatos quidem
carne, viuificatos autem spiritu, in quo veniens predicauit
eis, qui in carcere erant spiritibus.* Proprius enim sensus
esse videtur, Christum in spiritu, id est, in sola anima
predicasse, ac simul cōtulisse æternam gloriam spi-
ritibus sanctis, qui in carcere erant detenti. Ita Cy-
ril. Alex. in Ioan. ca. 36. & lib. 1. de fide ad Regi-
nas satis post mediū, lib. de fide ad Theodos. pro-
pè medium, ubi introducit Christum dicentem cō-
peditis, *Egredimini: & existentibus in tenebris, Reuelami-
ni.* Idem Nicephor. Constantinop. Epist. ad Leonem
Pap. quæ habetur in Synodo Ephesina. tom. 3. cap. 22. iuxta finem.
dicens, *animam Christi predicasse illis Conc. Ephes.
spiritibus resurrectionem, libertatemque & redemptionem
impertuisse.* Idem Irenæus lib. 4. contra hæres. cap. 45. Iren.
versus finem, Athanas. Epist. ad Epictetum non lon-
gè à principio, quam refert Epiph. hæres. 77. Ruffi-
nus in expositione symboli, & Cyr. libr. 2. ad Qui-
rinum c. 27. Damasc. lib. 3. c. vit. ac deniq. Clemens
Alex. lib. 6. Strom. prope medium, cuius verba latius
explicabimus sequenti disputatione, ubi plura in
hanc sententiam afferemus.

Tertio in huius rei confirmationem notant san-
cti Patres, initium Euangelicæ prædicationis sum-
ptum esse à regno Cælorum, quod sub eo nomine
expresso antea in veteri testamento non fuerat an-
nuntiatum, quia tunc longe distabat, & pro illo sta-
tu adiri non poterat. Ut ante passionem Christi ap-
propinquasse dicitur regnum cælorum, Matthæ. 3.
*Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum calo-
rum.* Quia nimirum passio Christi, per quam ianuā
regni

Alen.
Scot.
Innocent.

Heb. 9.

Chrysost.
Theoph.
Ambro.
Ansel.

D. Thom.
Io. 10. & 14.
Hebr. 10.

Chrysost.

Hebr. 12.

D. Thom.
Anselm.

Zachar. 19.
Hieronym.

Rupert.
1. Petr. 3.

Cyrl. Alex.

Nicephor.
Constant.

Conc. Ephes.

Irenæus.

Athanas.

Epiph.

Ruffin.

Cyprian.

Damasc.

Clem. Alex.

Regni cælo-
rum prædicationis
legi nouæ
propria cur.

Matthæ. 3.

86

regni erat referenda, iam parum aberat. Quapropter illa iam exhibita non solum appropinquasse, sed aduenisse dicitur regnum celorum. Hinc Chrysostomus homil. 4. in Marcum. *Quantum in meo corde est legens legem, legens prophetas, legens & Psalterium, nunquam regnum celorum audiui, nisi in Euangelio. Quia antequam Christus aperiret ianuam regni, omnes animæ iusta desinebantur in inferno.* De qua rescribit optimè Hieronymus ad Dardanum, epistol. 129. docens, in veteri testamento sub figuris, & umbris promissum esse regnum Celorum: non vero apertè. Quia ianuam illius nondum erat aperta. Vnde subiungit: *Sanguis autem Christi clauis est paradisi, terram enim viuientium, quam primus Adam perdidit, secundus inuenit: imò ab illo perditam iste restituit.* Mihi ergo (concludit inferius) in Euangelio promittuntur regna celorum, quæ verus instrumentum omnino non nominat. Idem Hieronymus, Dialog. 1. contra Pelag. satis post medium, Augustin. 19. contra Faust. capit. ultimo, & 1. Retract. capit. 22. Indicat etiam Origenes lib. 5. super epistol. ad Rom. circa illa verba. *Per unius delictum in omnes homines in condemnationem, Et alios in sequentibus referemus.*

Hieronymus.
August.
Origenes
Roman. 5.

Quarto, ratio à priori huius veritatis ex ordinatione, ac lege Diuinæ iustitiæ sumenda est, quæ in lapsu totius humanæ naturæ fundamentum habuit. Adam enim peccando omnibus hominibus clausit regnum Celorum: nam totam naturam humanam in sua radice infecit, atque odiosam Deo reddidit, ac propterea indignam æternæ beatitudinis reliquit. Fuit ergo iustitiæ diuinæ consentaneum, neminem ad eam beatitudinem admittere, donec pro tota natura esset satisfactum. In quo magna est diuersitas inter naturam Angelicam, & humanam, ut latius diximus superiori to. disp. 4. 2. Sect. 1.

Ex his inferitur, Sanctorum animas à corporibus separatas retinuisse fidem, & spem usque ad mortem Christi. Probatur, quia in primis certum est habuisse charitatem (nam de Sanctis, & iustis loquimur) & potuisse illius actus exercere, ut per se constat, quia non erat futura otiosa charitas in illis iustis, ergo necesse est, ut aliquam supernaturalem cognitionem habuerint, ergo cum non habuerint visionem, necesse est, ut fidem retinuerint: fides autem, quæ per charitatem uiuit, sine spe esse non potest, quia cum nondum teneat, quem amat, necesse est, ut spe in illum tendat. Deinde in animabus illis nihil erat, quod ab eis fidem, aut spem expelleret, cum nec visionem haberent repugnantem fidei, nec confessionem, quæ spei obiectum destrueret: neque etiam aliquem actum his virtutibus contrarium, cum essent iustæ, & sanctæ: ergo. Tandem in animabus purgatorij manet fides, & spes, ergo multo magis in ijs animabus, quæ erant in Sinu Abrahamæ. Hinc vero nonnullæ dubitationes oriuntur, quæ de statu harum animarum inquiri possunt.

Prima est: an essent confirmatæ in gratia, ita ut peccare non possent. Cui breuiter respondeo, minime peccare potuisse. Quia mors hominis, sicut est terminus vitæ, ita etiam & vitæ ad Deo præfixæ, ut in ea posset bene, vel malè operari, post mortem autem statim vel obstat in malum, vel confirmatur in bono, iuxta illud Ecclesiastes 11. *Si ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem, ubi ceciderit ibi erit.* Vbi mors casus appellatur, aquilonis autem nomine status peccati, nomine autem austris status gratiæ significatur, ut Hieronymus ibi exponit. Sensus ergo est omnem hominem vel in gratia, vel in peccato decedere, & quoad hoc in eo statu, in quo moritur, perpetuo manere, ut præter Hieronymum exponit etiam Gregorius 12. moralium capite. 3. & Bernardus sermone 46. ex paruis. Et confirmatur, nam propter hanc causam animæ purgatorij

Dubium.
Anima sanctorum Patrum Abrahamæ confirmata in bono, & impetabile.
Eccles. 11.

Hieron.

Gregor.
Bernard.

A sunt confirmatæ in bono, & peccare non possunt, vñ est communis, certaue sententia (quam Deo dante in 4. tom. huius 3. par. tractabimus) ergo multo magis idem dicendum est de animabus sanctis existentibus in Sinu Abrahamæ. Erant enim multo magis in termino, quam animæ purgatorij, alioqui possent inde ad purgatorium, vel etiam ad infernum transire. Quod est plane hæreticum contra vniuersalem Ecclesiæ sensum, & contra illud Luc 16. *Fili recordare, quia receperis bona in vita tua, & Lazarus similiter malis, nunc autem hic consolatur, tu vero cruciatur, & in his omnibus inter nos, & vos chaos magnum firmatum est, ut ijs, qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde huc transire.* Ex quibus omnibus non solum probatur illas animas non potuisse peccare mortaliter, sed etiam neque venialiter. Vnde Augustin. lib. 12. Gen. ad lit. capit. 24. agens de Sinu Abrahamæ sic inquit, *Ibi iam nulla tentatio, ubi tanta requies post omnes dolores vitæ humanæ.*

Luc. 16.

August.

Quod si quæras, unde hæc firmitas in bono oriatur. Respondeo breuiter, ut multa emittam, quæ ad alias materias spectant, non ex sola natura, neque ex aliqua virtute intrinseca, & inherente ex diuina gratia tales animas protegente, ortam fuisse: quia neque ex intrinseca necessitate perseverabant perpetuo in actuali Dei amore super omnia, neque in intellectu habebant aliquid intrinsecum, quod eas necessario contineret, ne inconsideratè, vel imprudenter posset aliquid operari. Erat ergo omnino necessaria diuina protectio gratiæ, quæ fiebat, ut vel semper essent in actuali amore, & contemplatione Dei, vel nunquam actum elicerent, quin prius omnia ad bene, ac prudenter operandum necessaria, consideraret. Quomodo autem, hoc non obstante liberè operarentur, difficultas vulgaris est, quæ facile expedire quis potest ex ijs, quæ tradidimus in priori tomo disp. 27. Sect. 3.

Dubium.
Responso.
Anima sanctorum Patrum Abrahamæ impetabile unde.

Secunda dubitatio similis præcedenti est, an illæ animæ possent mereri. Et breuiter negandum est potuisse: quod etiam est certum. Ratio vero reddi non potest ex sola rei natura, nihil enim repugnaret eas ibi mereri, cum essent in gratia, & optimos actus liberos exercerent. Fundatur ergo in diuina lege, quæ solum huius vitæ tempus ad merendum tribuit (ut in priori tomo quæstione 19. disputat. 39. Sectione. 3. tractatum fuisse est) & hoc quoque modo terminum vitæ Deus in morte præscripsit iuxta illud Pauli 2. ad Corinth. 5. *Reuertere unusquisque propria corporis prout gessit siue bonum, siue malum.* Quo sensu interpretatur Hieronymus illud Eccles. 9. *Moritur nihil novum amplius, neque habent ultra mercedem, & illud. Quodcumque facere potest manus tua, instantè operare.* Quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu propria, scilicet quæ ad meritum prodesset possint. Quam expositionem sequutus est etiam Grego. 4. dialog. capit. 39. De qua redicemus plura agente de animabus purgatorij, ubi ex eodem principio ostendimus eas non posse mereri. Quod etiam est certum, & inde potest defumi argumentum ad propositam sententiam confirmandam. Ac denique, quia alias penè infinita fuissent merita, quæ tanto tempore fierent. Quocirca prædicta assertio potissimum intelligitur de merito proprio, ac de condigno, quod est in ordine ad propriam beatitudinem, & gratiæ incrementum. An vero de congruo possent mereri, vel incarnationem, vel aliquid aliud sibi, vel alijs, fortasse est quæstio de nomine, ut iam dicam.

2. Dubium.
Responso.
Anima sanctorum Patrum Abrahamæ in limbo incapaces meriti.

2. Corinth. 5.

Hieron.

Eccles. 9.

Greg. Papæ.

Tertia enim dubitatio esse potest: an illæ animæ possent Deum orare pro se, vel pro alijs. In qua primum certum existimo absolute, & simpliciter potuisse orare: imò frequentissimè, ac summis conatibus orasse, petendo Messiam aduentum, suamque redemptionem, ita docet hic D. Thom. art. secundo ad D. Thom.

3. Dubium.
Responso.

secun-

August.

secundum, citans August. sermo. 137. de tempor. vbi
propè finem multa dicit in hanc sententiam, quæ
per se satis est clara. Nam si in hac vita hoc faciebant,
vt ex innumeris locis sacræ Scripturæ constat, quos
in superiori tomo tractauimus disput. 10. Section. 6. cur
non in eo statu, in quo & maiorem charitatem ha-
bebant, & liberiore ac expeditiore ad orandum e-
rant? Neq; enim in eis aliquid erat, quod huiusmodi
orationem impedire posset. Nam orare pro seip-
lis non repugnat etiam animabus beatis, si aliquid illis
desit, & ita legimus in Apocalypsi eas postulare sua
corpora, eorumque beatitudinem: multo ergo mi-
nus repugnabat ijs animabus, vt suum redempto-
rem, suam redemptionem, suamque beatitudinem
flagitarent, cum hæc omnia illis deessent. Vnde
fit, vt pro seipsis orare possent, postulando tum præ-
dicta bona, tum etiam alia quibus carebant. Pro a-

Apo.

Anima san-
ctorum Pa-
trum in Lym-
bo existentes
pro se, argu-
ntur, quia
lijs orare po-
terant.
Ierem. 15.
Hieronym.
Greg. Napa.
Chrysost.
2. Mach. 10.

lijs vero in communi saltem etiam orare poterant,
vt pro humano genere, pro Ecclesia, vel Synagoga,
pro amicis, pro filiis, & pro alijs, quos in hac vita
cognouerant. Vnde Ierem. 15. Dixit Dominus ad me,
fisterint Moyses, & Samuel coram me, non est anima
mea ad populum istum, Qui modus loquendi supponit
Moysen, & Samuelem, quamuis iam mortuos,
solitos esse orare pro suo populo, multaque à Deo
impetrare, vt satis significauit ibi Hierony. & Greg.
libro. 9. Moral. ca. 9. alias 12. Et Chrys. homil. 1. in Epi-
stol. 1. ad Thessalonicens. & apertior locus est. 2.
Machab. vltimo, vbi Iudas vidit Oniam, & Ieremi-
am iam defunctos orare pro populo Israel. Vbi
ponderandum est verbum illud. Hic est fratrum ama-
tor, &c: eadem enim charitas, quæ in via mouet
ad orandum, mouere poterat in eo statu, cum alias
nihil esset, quod hanc saltem generalem orationem
impediret. At vero in particulari, cum illæ animæ
nescirent omnia, quæ in hoc mundo geruntur, ora-
re non poterant, nisi iuxta mensuram cognitionis,
quam habebant, quamq; vel ab hac vita secum du-
xerant, vel ab animabus illuc migrantibus accepta-
rant, vel ex locutione sanctorum angelorū, vel de-
nique ex diuina reuelatione, quæ earum statui tunc
debita non erat: & ideo (vt existimo) ex lege ordina-
ria non fiebat, singularia autem prauilegia, sicut sine
fundamento affirmanda non sunt, ita etiam nec te-
merè reiicienda. Supponit autem hic discursus ani-
mas non posse naturali virtute omnia cognoscere,
quæ hic geruntur, quia non est necesse, vt omnium
recipiant species in fusas: quæ est sententia Augusti-
ni & Gregorij, quos refert & sequitur D. Tho. 1. p. q. D
89. art. 8. vbi de hac re latius. Vnde etiam fit, vt eo
tempore non possent regulariter orationes directæ
fundi ad animas in eo statu existentes. Quia cum
non viderent Deum, non poterant orationes homi-
num supplicantium agnoscere: postulare autem, vt
Deus eas manifestaret illis, fuisset petere singulare
præuilegium, & quasi miraculum præter ordinari-
am legem. Et ideo in veteri testamento legimus fi-
deles omnes interdum orasse directè ad Angelos.
Genes. 48. Angelus qui eruit me de cunius malis, benedicat
pueris istis: legimus item homines orasse Deum re-
præsentando merita Sanctorum iam defunctorum
vt eis iuuarentur. Exodi. 32. Recordare Domine Abra-
ham, Isaac, & Iacob, & Daniel. 3. Propter Abraham dile-
ctum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israel sanctum tu-
um. Legimus etiam vnum hominem directè postula-
re ab alio homine viuentem, vt pro se oraret, 1. Reg. 7.
Ne cesses pro nobis clamare ad Dominum. Quod autem
aliquis directè orauerit Sanctos defunctos, vt se ad-
iuuant, vel pro se orarent, nusquam legimus. Hic
enim modus orandi est proprius legis gratiæ, in quo
Sancti videntes Deum possunt etiam in eo videre ora-
tiones, quæ ad ipsos funduntur, de qua re latius in
materia de Beatitudine.

Genes. 48.

Exod. 32.

Daniel. 3.

1 Reg. 17.

Dubium

Responsio.

Quarta dubitatio esse potest, an illæ animæ pœ-
nam aliquam sustinerent. In qua breuiter dicendum
Fr. Suarez. Thom. 2.

A est, in primis certum esse caruisse omni pœna sensus
seu ignis, imo potius magno gaudio, & consolatio-
ne affectas fuisse, tam ob statum gratiæ, quam ob
spem certam futuræ gloriæ. Cognoscebant enim se
esse in gratia confirmatas, & ita nullo timore affi-
ciebantur, quod non poterat non afferre eis ma-
gnum solatium. De quo dictum est Lucæ. 16. Hic au-
tem consolatur, vt bene Chrys. hom. de diuite, & La-
zaro. D. Thom. hic artic. 5. ad primum, vbi in hunc
sensem interpretatur August. & verba illa Ioann. 8. Ioan. 8.
Abraham exultauit, vt videret diem meum. Certum de-
nique est, eas habuisse temporalem pœnam damni
vsque ad Christi aduentum. Quia (vt dictum est) di-
uina visione carebant, & omnibus bonis, quæ illam
intrinsecè consequuntur, ex quo non poterant non
maioris aliquem tristitiam, vel peruersitatem pro-
pter tanti boni dilationem, vt D. Thom. hic. ar. 2. ad
secundum aperte docet, & Caietan. artic. 5. vnde
Greg. 13. Moral. ca. 16. alias. 21. in ipsis, (inquit) inferni
locis iustorum animæ sine tormento tenebantur: graue ta-
men tadium illis fuit post solutionem carnis adhuc speciem
non videre creatoris. Et de hac tristitia intelligendus est
August. sermo 2. de resurrectione, cum introducit de-
mones suam sententiam ruinam, his verbis. Ligatos sol-
uit, luctus eorum in gaudium conuertit. Ecce ipsi, qui sub
nostris solebant suspirare tormentis, insultant nobis de per-
ceptione salutis. Nunquam potuerunt sic latere captiui,
& cætera quæ late persequitur.

Anima san-
ctorum in lim-
bo pœna sen-
sus omni ca-
rebant.

Luc. 16.
Chrysostom.
D. Thom.
August.
Ioan. 8.

Caietan.
Gregor.

August.

Supereff, vt rationes dubitandi in principio po-
sitas dissoluamus. Prima fundatur in eo, quod Deus
dicitur retribuere in die obitus, quod accommo-
datè intelligendum est in diuersis statibus pro tem-
porum diuersitate. Tunc ergo in die obitus non da-
batur iustis vltima retributio in seipsa propter natu-
ræ impedimentum: dabatur tamen in spe certa, &
infallibili. Deinde ibi solum dicit Sapiens, Deum
conferre retributionem secundum merita in die o-
bitus: non tamen dicit, quænam sit ista retributio.
Quo circa ille status, quem sanctæ animæ habebant
in sinu Abraham, potest dici retributio accommoda-
ta ipsarum meritis pro illo tempore. Sic enim dicit
Abraham Lucæ. 16. ad diuitem, Filie recepti boni in
vita tua, & Lazarus similiter mala, nunc vero hic consolatur:
tu vero cruciaris. Vbi aperte significat illum statu
gaudij, & consolationis fuisse retributionem
meritorum, non vltimam & perfectam, sed tempo-
ri, & statui accommodatam. Sicut etiam animabus,
quæ in purgatorium tendunt in die obitus datur re-
tributio iuxta merita. Quia & pro malis operibus
datur temporalis pœna, & pro bonis etiam datur
tunc aliqua retributio. Nam confirmantur in bono
& certæ sunt suæ salutis æternæ: vnde maxima co-
solatione recreantur: non recipiunt autem statim
vltimum præmiū, quia nondum sunt capaces. Quo-
circa tandem dici potest, omnes in die obitus reci-
pere retributionem vltimam, nisi aliquid ex parte
eorum impedimentum interueniat.

Responsio ad
argumenta
in oppositum

Luc. 16.

D. Thom.

August.

Sententia Au-
gust. de deo. c.
su anima
Christi ad
sinum Abraham, in quo erant Patriarchæ, Prophetæ,
& alij iusti, non fuisse in inferno, & consequenter,
cum in

cum in Scriptura dicitur, Christum descendisse ad inferos, non intelligi de Sinu Abraham. Ex quo vltorius infert, illud beneficium, quod Christus contulit, qui erant in inferno, illuc descendendo, & soluendo eos à doloribus inferni, non esse collatum illis Patribus, qui erant in Sinu Abraham, sed quibusdam alijs. Et hinc tandem concludit, se nescire, quid Christus descendendo ad inferos, Patribus existentibus in Sinu Abraham contulerit, & potius sentit nihil contulisse. Sed ex hoc non potest inferri, Augustinum sentire, illos Patres antea vidisse Deum, aut non recepisse hanc visionem post passionem Christi & propter ipsam, quia Augustinus hoc non dicit, sed solum ait, propter hunc effectum non fuisse necessarium descensum Christi, & ideo ablata alia necessitate descendendi propter soluendos dolores inferni, concludit se non inuenire, quid suo descensu Christus his Patribus contulerit. Hanc vero esse mentem eius constat ex ratione quam reddit: Cum enim dixisset, *Quia euidentia testimonia & infernum commemorant, & dolores, nulla causa occurrat, cur illo credatur venisse Saluator, nisi vt ab eius doloribus saluos faceret*: postea sic infert. Vnde illis iustis, qui in Sinu Abraham erant, cum ille ad inferna descenderet, nondum quid contulerit inuenio: Nimirum quia non soluit eos à doloribus. Et quia dicere posset aliquis contulisse eis visionem beatam, ad hoc excludendum subdit hæc verba. *A quibus eum, secundum beatificam præsentiam suæ diuinitatis nunquam video recessisse*. Vbi non dicit eos fuisse semper beatos, sed eum per diuinitatem, & beatitudinem suam, & per propriam essentiam semper fuisse illis præsentem: quasi diceret, ad communicandam eis hanc beatitudinem non fuisse necessarium illuc descendere. Hæc de mente Augustini. Nam de re ipsa postea dicemus, quamquam vno etiam verbo dici posset, Augustinum in tota illa epistola, inquirendo potius & dubitando, quam affirmando processisse, & ideo obscure, ac dubitanter esse loquutum. Ad Iustinum respondetur falsò citari, nam potius eo loco indicat neminem ante generalem resurrectionem videre Deum, quod ab Ecclesia iam damnatum est, de qua re alibi.

Ad tertium cum Paulus dicit, *Adepti sunt reprobationes*, de temporalibus reprobationibus loquitur, vt communius expostores intelligunt. Quod si admittere velimus expositionem Anselmi ibi citatam intelligendum est, Paulum loqui respectu temporis in quo ipse scribebat. Nam iam tum Patres antiqui adepti erant reprobationes quoad animæ beatitudinem, non vero de tempore ante Christi aduentum.

Ad quartum ex ratione sumptum, iam ferè responsum est: comparatio autem, quæ fit inter remissionem peccati, seu gratiam, & gloriam, non est eiusdem rationis. Quia gratia & remissio peccati erat simpliciter necessaria ad salutem: gloria vero poterat sine incommodo æternæ damnationis aliquo tempore differri, vt dixi etiam in superiori tomo, disp. 41. Sect. 1.

SECTIO II.

In quo loco fuerint Sanctorum animæ ante Christi mortem.

Luc. 16.

Aug.

De hoc loco in Scriptura solum habemus appellari Sinum Abraham, Luc. 16. Factum est, vt moreretur etiam mendicus, & portaretur ab Angelis in Sinum Abraham, & infra expresse dicitur in eodem loco fuisse Abraham. Ex quo rectè colligit August. dicta epist. 99. ibidem fuisse alios iustos Patriarchas, & Prophetas, & absurdum existimat de hoc dubitare. Vnde lib. de anima, & eius origin. c. 15. definit Sinum Abraham intelligendum esse, Remotam sedem quietis, atque secretam, quæ dicta est Abraham, non quod ipse tunc

ibi sit, sed quod ipse pater multarum gentium sit positus, quibus est ad imitandum fidei principatum prepositus: sicut & Deus Abraham se Deum vocari voluit, cum sit innumerabilem Deus. Quo autem loco, seu in qua parte orbis situs sit hic Abraham Sinus in Scriptura non videtur expressum. Quod autem non sit in inferno, sentit August. Epist. 57. & dicta Epist. 99. Et fundamentum eius est. Quia infernus in Scriptura sacra semper sumitur in malam partem pro loco dolorum ac tormentorum: Sinus autem Abraham dicitur esse locus quietis, & consolationis, & veluti cuiusdam beatitudinis. Et confirmatur: nam Luc. 16. condistinguntur Sinus Abraham, & infernus, sic enim dicitur. Factum est vt moreretur mendicus, & portaretur ab angelis in Sinum Abraham: mortuus autem est & diues, & sepultus est in inferno. Et inferius dicitur magnus chaos firmatum esse inter vnum, & alium locum, Vnde quidam existimant esse locum aliquem celestem: alij esse paradysum terrestrem: alij vt Aug. refert lib. 4. de Virg. c. 15. putant non esse locum animarum, sed partem quandam animæ ipsius Abraham, quod satis ridiculum est, vt ibidem ipse dixit, qui etià lib. 8. Gen. ad li. c. 5. dubitat quid Sinus Abraham sit. Origenes autem super Ioannem circa illa verba, *Erat autem vnus ex discipulis Iesu recubens in sinu ipsius, metaphoricè Sinum Abraham interpretatur*.

Dicendum verò est primò, locum in quo animæ sanctæ detinebantur vsque ad Christi mortem, quem Sinum Abraham vel Limbum sanctorum Patrum appellamus fuisse in inferioribus partibus terræ. Conclusio hæc certa est, quæ primo probari potest ex modo loquendi sacre Scripturæ. Nam Genes. 37. ait Iacob, *Descendam ad filium meum Iugens in infernum*, Quo loco (quidquid hæretici contendant, vt postea videbimus) non potest inferni nomine sepulchrū intelligi. Primò, quia nec vox Latina hoc proprie significat, nec vox Hebræa *שְׁאוֹל*, cuius loco Septuaginta veterunt *ἄδης*, quod significat gehennam, non *τάφος*, quod significat sepulchrum. Secundo, quia cum Iacob dicat se descensurum ad filium suum, non loquitur de corpore, sed anima, quia secundum corpus non erat descensurus ad sepulchrum filij sui, non enim erat in eodem loco sepeliendus. Præsertim cum putaret filium fuisse à fera pessima deuoratum: descensurum ergo se dicit secundum animam ad locum Sanctorum Patrum, in quo (sine dubio) filium suum esse confidebat. Dicit autem se descensurum in infernum, est ergo locus ille subterraneus, atque in inferioribus terræ partibus constitutus. Quin potius addo, si interdum in Scriptura veteri nomine inferni significatur mors, vel sepulchrum, vt Iob 7. & alibi, ideo esse, quia tunc per mortem omnes animæ, in aliquem inferni locum descenderant. Vnde reuera non tam sepulchrum vocatur infernus, quam ipsa mors, vocatur descensus ad inferos. Præterea de eodem loco idem Iob loquebatur, cura Genes. 42. & 44. dicebat. *Deducetis canes meos cum morore ad inferos*, vt Chrysost. exponit hom. 4. in Marcum, & bene Hieronymus Ecclesiastes 3. vbi adiungit eundem locum optasse Iob cap. 14. cum dicebat, *Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me?* Quod in eundem sensum exposuit Gregor. 11. Moral. capit. 6. alias 7. & lib. 13. capit. 16. & 17. simili modo exponit illud Iob 17. *Si sustinuerò, infernus domus mea est*.

Et confirmari hoc potest ex 1. Regum 28. vbi anima Samuelis visa est de terra ascendere quasi existens prius in inferiori loco. Quamquam enim Augustinus lib. 2. ad Simplicianum quæstion. 3. & lib. 8. de quæstionibus ad Dulcium quæst. 6. dubitaue- rit, an illa verè fuerit anima Samuelis, & multi id negauerint, vt Tertullianus libro de anima capite 57. & Iustinus, quæstione 52. ad Gentes, & Augustinus libro 2. de mirabilibus sacre Scripturæ, capite 11. & lib. quæstionum veteris testamenti quæst. 27. & habetur

Augustin.

Luc. 16.

August.

Origenes

Ioann. 13.

Sinus Abra-

ha, in qua

terra parte

fuerit.

Genes. 37.

Inferni na-

men in Scri-

ptura quid

denotat.

Iob 7.

Gen. 42. & 44.

Chrysostom.

Hieron.

Iob. 14.

Gregor.

Iob. 17.

1. Reg. 28.

August.

Tertullian.

Iustin.

August.

habetur